

sunt rerum momenta, quorum efficaciâ excitatur ac sustentatur vita.

§. 33.

Quod ad temperiem attinet, primum consideranda est lux, cujus vis respectu plantarum, in ampliando ac colorando sita est. Lux autem considerari potest, 1:mo *ratione intensitatis*, quæ major est locis apricis meridiemque versus pronis, quam in umbra. Hinc partes plantarum multa luce non modo coloratores factæ, sed etiam saturatius coloratae.

Exempla sunt grama pleraque, quæ, quotiescumque nascuntur in umbra, pallescere solent. Quæ res non nunquam novarum etiam specierum præbuit ansam. Ex. gratia *Agrostis setacea* (Hartm. Fl. Scand. Ed. I.); *Agrostis alba* et *A. straminea* Hn. I. c.; quæ vel in umbra vel ætate albescunt. Pari modo *Arundo stricta* quæ locis apricis arenosis purpurascens; in umbrosis vel demum ætate provectior pallida est. Item: *Arundo Calamagrostis*. *Holcus atropurpureus*; et *Poæ* omnes albescunt in umbra; ut et *Festucae*, sed purpurascunt aut glaucescunt in aprico. Unde *Poa pratensis*, var. *iantha*, et *Poa nemoralis* β. *glauca*, (*Poa glauca* auctor.); *Festuca ovina* var. *glauca* Fr. etiam *Lapponiae vulgaris*; (nisi *F. cæsia* Sm., eandem ob causam cæsia